

„dam, non donabo, non impignorabo, nec de novo infeudabo, neque
 „alio modo alienabo, neque id fieri permittam aut procurabo, absque de-
 „creto mei Episcopi, Philippi Adolphi, Ecclesiæque Monasterii Zellæ Ca-
 „pituli expresso consensu; bona autem Ecclesiæ Monasterii Zellæ inutili-
 „ter dispersa et ad Præposituram spectantia pro viribus recuperabo, et
 „recuperata conservabo, et alias in omnibus et per omnia dictæ Præpositu-
 „ræ meæ administrationem in spiritualibus et temporalibus fideliter geram
 „et exercebo, uti salubrius et ferventius potero; sic me Deus adjuvet et
 „conditores quatuor Evangeliorum, quos hic manibus meis propriis tango.
*Eandem Electionem, Nominationem, ac Præsentationem sic, ut præmittitur,
 factam auctoritate nostra ordinaria confirmavimus, eundemque sic electum,
 nominatum, ac præsentatum in eodem Monasterio præfecimus, ipsamque ele-
 ctionem, nominationem, ac provisionem factam, confirmamus, ratificamus,
 approbamus et eidem præficimus et instituimus in nomine Dei per præsentem,
 curam et Regimen ejusdem Præposituræ, illique subjectorum in animam ejus
 committentes; certificantes eundem Præpositum, quod de regimine hujus-
 modi Præposituræ Deo in tremendo illo novissimo iudicio exactam strictamque
 rationem sit redditurus; mandantes omnibus et singulis ad quos pertinet, ut
 eidem Bernhardo Guilielmo, tanquam vero et indubitato prænominati Mo-
 nasterii Præposito obedientiam et reverentiam solitas et consuetas præsentent
 atque exhibeant, eidemque de fructibus, redditibus, et proventibus ejus-
 dem Præposituræ effectualiter respondeant, faciantque, quantum in eis est,
 ab aliis quoque responderi, adhibitis et observatis in præmissis privilegiis, et
 statutis dicti Monasterii, aliisque solennitatibus debitis ac consuetis. In
 quorum omnium et singulorum fidem et testimonium præsentem literas nostras
 fieri, sigillique Officii nostri Vicariatus, quo ad præsens utimur, jussimus et
 fecimus appensione communiri. Datum et actum in Arce nostra Rimparr, die
 Sabathi vigesima quinta Mensis Octobris, Anno Domini millesimo sexcen-
 tesimo vigesimo quinto. Jam mihi Cl. Schannatus dicat, an unquam Mona-
 sterium Cellense immediate et pleno jure subjectum fuerit Fuldæ, quæ nihil
 nisi jus Præpositum novum præsentandi unquam habuit aut adhuc habet.
 Juramentum enim idem, quod hic recensuimus, præstitere successores
 Schwalbachii, continua serie usque ad Illustrem et maxime Reverendum
 Wilhelmum ab Harstal, qui eidem Præposituræ nunc præest, et omnes ab
 Episcopis Wirzeburgensibus confirmationem rite petierunt. Schwalbachii-
 um de cætero Præpositum Author noster anno 1636. adhuc in vivis fuisse
 notat. Nos vero ex Testimonio Philippi famuli, dum viveret, ejus certo
 scimus, ipsum anno 1639. decessisse, et Ecclesiam Cellensem post ejus obi-
 tum usque ad annum 1646. quo hoc Testimonium datum est, Præposito
 caruisse, ac *Matthiam Benedictum a Rindorf* Ecclesiæ Fuldenis Decanum
 ac Præpositum Novi Montis Præposituram Cellensem solum administrasse,
 redditus ærario Fuldensi intulisse, ornatumque sacrum et clinodia Ecclesiæ
 Coloniam transportasse. Male ergo Cl. Schannatus Schwalbachio succes-
 sorem dedit *Cunonem a Riedesel*, qui, ut ostendimus, integris annis cen-
 tum ante Schwalbachium vixerat. Sed rerum minoris momenti finem
 tandem faciamus.*

Monaste-
 riumKars-
 pacense
 Dicecesis
 Wirce-
 burgensis,
 L. Pagina 184. prodit, duce Schannato, *Monasterium Karspach*, et
 ille Monasteriis Fuldensi Ecclesiæ olim subjectis jure meritoque se adnume-
 rare credit *vetus Karspach*, alias *Caragoltesbach* nuncupatum, cujus men-
 tio fit in Vita B. Liutbirgis Reclusæ; *quandoquidem*, inquit, *illud sub ini-*
tium